



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Q[uo]d optuerit i[n] ill[is] antiquo[rum] b[ene]dictio[n]ib[us] traceri
relatiua no[m]i[n]a, q[ue] sunt p[ate]r & filius & sp[irit]us s. & sermone
claudi, ut no[n] sic ap[er]te b[ene]diceret sicut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

stantem super terram, angelos quoque dei ascendentes & descendentes per eam, & dominum innixum scalae dicentem sibi. Ego sum dominus deus Abraham patris tui, & deus Isaac, & caetera usque, & ero custos tuus quocumque perrexeris. ¶ Denique magnum hic est filij dei sacramentum, si rite scalam agnoscis, si quid sit dominum scalae innixum rite perpendis. Si quis dem salvo morali intellectu, quo dicere possumus, scalam esse uitae nostrae profectum, & scalae huius latera nostrum corpus & animam, gradus autem eiusdem scalae diuersas esse ascensiones uirtutum; saluo (inquam) hoc morali intellectu generatio domini nostri Iesu Christi per scalam illam debet intelligi, cuius quasi duo latera sunt duo Patriarchae magni scribente Euangelista: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Ad istos namque patres deus, eundem Christum nasci de semine eorum cum iuramento repromisit. Quomodo supremo gradui scalae dominus innixus fuit? Ita nimirum, ut pupillus, id est, absque patre secundum carnem natus in hoc seculo, opus haberet optimo patre & nutricio Ioseph. Igitur angelus qui eruit me (ait Iacob) de cunctis malis, ipse est deus dei filius, ac proinde quia taliter orauit, tertio deum nominans, palam constat, quia sanctam trinitatem inuocauit. ¶ Quod oportuerit in illis antiquorum benedictionibus taceri relatiua nomina que sunt pater & filius & spiritus sanctus: & sermonem claudi, aut non sic aperte benedicerent, sicut nunc benedicimus vel baptisamus in nomine patris & filij & spiritus sancti, & de eo quod scriptum est in Esaias: Erit uobis uisio omnium, sicut uerba libri sigillati. Ca. XIII.

Scala Iacob i
gnatioe Chri

Mat. 1

Gene. 48

Quoniam igitur in nomine patris & filij & spiritus sancti baptisamur siue benedicimur, non est hoc recens quod agitur, quia sic fere antiquo quoque tempore in lege, immo & ante legem, benedicebantur, tacitis tantummodo pro temporis necessitate relatiuis nominibus, quae sunt pater & filius & spiritus sanctus. Oportebat enim, ut sermo clauderetur, immo & signaretur. ¶ Hoc etenim quidam eorum, scilicet Prophetarum, ut facerent, iustum sibi fuisse testantur. Esaias cum de isto nomine dixisset; Et clamabant Seraphim, alter ad alterum, & dicebant, sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus exercituum: Et deinde de nomine nascituri Emmanuel, & de uocabulo eius, ac cetera spolia detrahere, festina praedari: plura fuisse locutus, circa finem uisionis hoc sibi iustum fuisse scribit. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Daniel quoque post uisiones multas & maximas, scribit hoc sibi fuisse praecipuum. Tu autem Daniel, claudes sermones, & signa librum usque ad tempus statutum. Et iterum: Vade Daniel, quia clausi sunt signati quoque sermones, usque ad tempus praefinitum. Et quasi quaereret Daniel, ut quum sunt haec scripta, si debent esse clausa & signata, dictum est ad eum. Pertransibunt plurimum, & multiplex erit scientia. Nunquid uero solis istis & non etiam Moysi & Prophetis oibus hoc intimatum fuit, expedire, ut sub clausura & signaculo loquerentur? Nam propter uel contra illos, qui uerba sacramentorum caelestium, non sicut margaritas honorarent sed potius conculcarent, loquitur Esaias, & pro seipso & pro omnibus. Et erit uobis uisio omnium sicut uerba libri signati. Quem cum dederint scienti literas, dicent: Lege istum: Et respondet. Non possum: Signatus est enim, & caetera usque, peribit enim sapientia a sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Moyses ergo haec tenens de mysterio locutus sanctae trinitatis, recte & oportune sermones clausit, tantummodo relatiua (sicut iam dictum est) supprimens nomina patris & filij & spiritus sancti. Nec uero solummodo clausit, uerum etiam signauit. Quomodo signauit?

Sermo de Trinitate in uet. test. clausus & signatus fuit. Esa. 6 Idem. 7 Idem. 8 Ibidem. Dani. 12.

Mat. 7
Esa. 29

¶ De eo quod dictum est: Audi Israel, dominus deus tuus deus unus est, & de eo quod protinus subiungit haec tria: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: & quod dilectio trina sit & una non tres dilectiones, sed dilectio una. Caput XIII.

Deut. 6
Iudaeis liber signatus est

Gene. 1

Audi (inquit) Israel: Dominus deus tuus, deus unus est. Nonne hoc dictum quae si clausi libri signaculum est scienti literas, scilicet Iudaeo proficenti se scire legem & Prophetas. Cum enim librum hunc ingeris illi, ut legat lectionem hanc pluraliter sonantem: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & rogas eum, ut trium personarum discretionem animaduertat, in uerbis istis, quae protinus sequuntur.

F Et crea